THESES

DE MVLTIPRAESENTIA ET OMNIPRAESENTIA CORPORIS CHRISTI:

Quæ 11. Septembris, hora VII. in Auditorio Theologico disputabuntur

Præside GEORGIO SOHN *Theologiæ Doctore & Professore:*

Respondente

MARTINO MOTTHAEO CASSELLANO.

HEIDELBERGÆ,

CIↃ. IↃ. LXXXVII.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO MAVRICIO LANDGRAVIO HASSIAE, COMITI in Catzenelnbogen, Dietz, Zigenhain, & Nidda, &c. Domino suo clementissimo.

CVM superiore anno de persona, officio, atque statu Christi disputationes instituerem, Illustrissime Princeps, plures habere non solùm de thesi, sed etiã de Antithesi, præcipuéq; de Antithesi, planè constitueram, vt quid de his rebus, quæ iam diu controuersæ sunt, statuendum sit, intelligi rectius posset. Ac de thesi quidem quod volebam, fermè feci: de Antithesi autem nunc secus faciendum, & semel defungendum videtur. Nam & in thesi diu sum commoratus, partim propter rerum ipsarum, partim propter aliorum negociorum multitudinem: & necessitas ita postulat hoc tempore, vt vnà cum aliis adversus communes hostes Pontificios Iesuitas potius disputationes instituam. Cui enim de horum voluntate dubium esse potest, qui non solùm arma contra Ecclesias Reformatas concitant, quæ possunt, sed etiam scriptis & disputationibus eas oppugnant, & veram religionem extirpare, falsamque propagare maiori quàm antea studio conantur? quos extremi subsidij loco Sathanam seruasse credibile est, vt per eos regnum Christi oppugnaret, Antichristi propugnaret & augeret: qui nõ amplius timidè sed audacter agunt, & iam feces superstitionum suarum exhauriunt, & Germaniæ propinant, vt cum alia tum etiam theses de ritu orãdi Rosarium nuper in schola Moguntina edita satis demonstrant.

Hìc certè necesse est vt obuiam eatur, dum adhuc obuiam iri potest. Nam serò medicina paratur, dum mala &c.

Atque vtinam eam hìc alacritatem omnes atque operam

adhiberent, quam in domesticis dissidiis adhibere solent: certè vt faciant rei magnitudo postulat.

Cæterùm in his thesibus de multipræsentia & omnipræsentia seu Vbiquitate corporis Christi illud egi, vt, quanta fieri posset breuitate, de hac Controuersia exponerem. Nam breuitatem à me requirebat institutum meum; quippe qui theses non librum scribere volebam. De argumentis aduersariorum in prima parte refutationis breuius dixi, quòd ad disputationem ipsam hæc res magis pertineret: De nostris verò in secunda & tertia paulò plenius explicaui, vt dogmatis illius falsitas melius intelligeretur.

Etsi autem hæ pagellæ non respondent dignitati tuæ, Illustrissime Princeps, & me librum potius accuratè scriptum tibi debere intelligo: tamen cùm non ita pridem in Hassiam ingressus essem, disputatione quam hic habui, quibusdam amicis Marpurgensibus dedicata, non regrediendum ilicò in itinere, sed progrediendum esse; & quòd non procul à C. T. abessem, ei has theses offerendas existimaui.

Nam fecit amor meus & obseruantia, qua Cels. tuam humiliter, vt par est, prosequor, vt aliquid; indoles tua & eruditio, vt hoc modo; status Hassiæ vt de hac re potissimùm ad te scriberem. Tibi igitur, Illustrissime Princeps, has theses dico offeroque, non quòd me monitore in hac controuersia egeas, qui eam & per te intelligis, & in aula paterna monitoribus abundas, sed partim vt currenti calcar addam: nam de tua indole egregia, eruditione pro ista ætate admirabili, studio in omni literarum genere indefesso, pietate & zelo singulari passim fama percrebrescit: partim vt studium erga te meum & obseruantiam declarem. Ac te spero benignè eas à me accepturum esse. Macte animo in literarum studiis ita perge vt cum his pietatem & zelum, sicut facis, coniungas: vt non solùm doctus,

sed

sed etiam pius Princeps habearis. Deus pater Domini nostri Iesu Christi Heroica illa dona quæ in hac florente ætate Celſ. T. conceßit, confirmet, & te omnis generis benedictione magis ac magis locupletet, vt aliquando cum Illuſtriſſimo Principe Friderico Palatino, Electoralis Palatinatus herede, cuius pietas & zelus ſæpe me exhilarant, reip. cum laude præeſſe & inter Germaniæ Principes fulgere poßis. Datæ XXII. *Auguſti, Anno* CIↃ. IↃ. LXXXVII.

T. Illuſtriſſ. Celſ.

deditiſſimus

GEORGIVS SOHN D.

DE MVLTIPRÆSENTIA ET OMNIPRAESENTIA CORPORIS CHRISTI

Theſes ad diſputandum propoſitæ.

PRIMA.

HACTENVS theſin de Incarnatione filij Dei, & de incarnati officio atq; ſtatu tractauimus, ita vt & de re & de phraſi, qua res enunciatur, Scripturæ ſacræ, & Patribus, & Auguſtanæ Confeſſioni conuenienter exponeremus: vnde apparet, multa, à quibus alieniſſimi ſumus, falsò & calumniosè nobis affingi, ſaltem vt doctrina noſtra deformetur: de quibus nihil attinet hîc commemorare; Nunc Antitheſin ad diſputandum proponemus, in qua ita verſabimur, vt de controuerſia, quæ inter nos, & quoſdam Reformatarum Eccleſiarum Doctores de multipræſentia & omnipræſentia corporis Chriſti, ſeu de præſentia in multis vel omnibus locis, intercedit, breuiter exponamus.

II.

Ac primùm quidem de origine & progreſſu & de ſtatu controuerſiæ dicemus, deinde refutationem breuiter inſtituemus.

III.

Controuerſia hæc de multipræſentia & omnipræſentia corporis Chriſti ex controuerſia Sacramentaria exiſtit.

IIII.

Cùm enim corporalem præſentiam in pane & oralem manducationem corporis Chriſti piis & impiis communem nonnulli ſtatuant; vt eam obtineant, corpus Chriſti

defi-

definitiuè in multis, vel ſecundum modum Maieſtatis, vbique & in omnibus locis præſens eſſe contendunt.

V.

Tempora autem huius controuerſiæ duo ſunt: vnum, quo hæc primùm nata atque mota: alterum, quo poſt aliquot annorum ſilentium eſt renouata.

VI.

Nata primum, & è controuerſia Sacramentaria, quæ iam exarſerat, veluti excitata eſt hæc controuerſia anno Chriſti ſupra milleſimum quingenteſimum XXVII. & XXVIII.

VII.

Cùm enim de præſentia corporis & ſanguinis Chriſti in pane & vino Euchariſtiæ diſputatio inter Lutherum & Zvvinglium atque Oecolampadium orta eſſet; illo præſentiam corporis & ſanguinis in pane & vino Euchariſtiæ corporalem affirmante, his contra negantibus, & de immutabili veritate corporis Chriſti, de vera, id eſt, locali & viſibili aſcenſione in cœlum, & corporali manſione in cœlo vſque ad extremum iudicium obiicientibus: Lutherus vt ſeſe expediret, & corporalem corporis Chriſti præſentiam in pane Euchariſtiæ, atque oralem manducationem probaret, Vbiquitatem corporis Chriſti arripuit in feruore contentionis, & primus in Eccleſiam eo tempore inuexit; idque duobus præcipuè libris, quorum alter inſcribitur, quod hæc verba Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*, adhuc firma ſtent: alter, Confeſſio magna nominatur. in quorum altero affirmatur corpus Chriſti etiam ante aſcenſionem in cœlum, vbique præſens fuiſſe: in altero autem, humanitatem Chriſti in Deo eſſe extra omnes creaturas: eſſe vbicunque eſt Deus: eſſe Deum: omnia plena eſſe Chriſti etiam ſecundum humanitatẽ:

corpus

corpus Christi tres modos habere alicubi essendi, circumscriptiuum seu corporalem, definitiuum seu spiritualem, & repletiuum seu diuinum & cœlestem, &c.

In quo idem fecit Lutherus, quòd homines irati in pugna solent, qui armis aliis destituti, ligna, lapides &c. arripiunt, vt se defendant.

VIII.

Cùm verò duobus illis annis sic disceptatum esset, tandem Marpurgi anno xxix. facta declaratione de persona & duabus naturis Christi, inter partes conuenit, & disputatio omnis de Vbiquitate corporis Christi conquieuit.

IX.

Itaque anno xxx. in Comitiis Augustanis in tertio articulo Augustanæ Confessionis doctrinam de persona Christi exposuerunt Theologi protestantes, non solum Scripturæ sacræ & symbolis veteribus congruentes, sed etiam absque alterius partis damnatione aut improbatione. Et deinceps in multis scriptis Lutherus non solùm rectè exposuit sententiam suam: sed etiam dogma Vbiquitatis, cuius antea semina quædam sparserat, à controuersia Sacramentaria expressè reiecit. Tom. Ien. 8. fol. 375. & Tom. 3. Ienens. fol. 495. quod hunc esse baculum arundineum perforantem manum innitentis, animaduerteret.

X.

Post mortem Lutheri adhuc de Vbiquitate corporis Christi silentium fuit in scholis & Ecclesiis, ac de præsentia in Cœna Domini tantùm disceptatum est.

XI.

Renouata est hæc controuersia post xxx. annorum si-

len-

lentium : ac primum quidem à quibuſdam ſeparatim, deinde à pluribus coniunctim.

XII.

Seorſim renouata eſt primùm à Brentio, qui viuo adhuc Melancthone dogma Vbiquitatis in lucem reuocare conatus eſt, ſed à Melancthone, cuius autoritas in Eccleſiis Germanicis ſumma erat, & qui non ſolùm priuatim ipſum monebat, ſed etiam publicè, quid de aſcenſione in cœlum, de ſeſſione ad dextram, & de communicatione Idiomatum ſentiret, in enarratione Epiſtolæ ad Coloſſ. in refutatione Serueti, Anabaptiſtarum, & Stancari, & in Chronicis oſtendebat, repreſſus nondum in publicum prodiit. Poſt mortem autem Melancthonis erupit, & non ſolùm veterem controuerſiam & iam diu ſopitam de Vbiquitate corporis Chriſti iterum, & quidem magno conatu mouit; quippe qui corpus Chriſti inde à conceptione omnipræſens, & hanc omnipræſentiam ad Cœnam Domini omninò neceſſariam eſſe contendit : ſed etiam nouis additamentis auxit, vt,

De Maieſtate Chriſti. pag. 21. 23. 24. Et in Recog. p. 15. Ibid. p. 38. 76. 77. Ibid. 45. 69. 143. In Recog. p. 116. 122. 123. & 247. Et in li. de vnione perſonali p. 25. 28.

Quòd filius Dei cum omnibus rebus creatis perſonaliter ſit vnitus.

Quòd exaltatio Chriſti facta ſit inuiſibiliter. & quòd Chriſtus ſederit ad dextram Patris in vtero matris.

Quòd idem ſit aſcendere in cœlum, & ſedere ad dextram Dei.

Quòd Chriſtus in vtero matris exaltatus ſit, & aſcenderit in cœlum, & ſederit ad dextram Dei.

Quòd Chriſtus dupliciter aſcenderit in cœlum, inuiſibiliter & viſibiliter; inuiſibiliter, partim in incarnatione, partim in reſurrectione à mortuis: viſibiliter in monte Oliueti, &c.

Quòd non aſcenderit Chriſtus ſupra nubes in cœlum.

Ibid. p. 78. 79. Ibid. pag. 40. 41. 44. 45. 69 93. 105. 137. 146. 147.

*Ibid.*142. Quòd Christus aſcenderit in cœlum, cùm in cruce clamaret, Pater in manus tuas &c.

Ibid. 140. Quòd cœlum ſit vbique, & quòd Angeli ſemper ſint in cœlo.

Ibid de Maieſt. Chriſti. p. 159. *et* 162. *Ibid.*181. 182. *&* 201.205. 217.223. Quòd cœlum, in quod Chriſtus aſcendit, ea ſit conditione, vt in eo nõ tantùm ſancti homines, verùm etiam Sathan & Angeli eius inueniantur.

Quòd in cœlo ſint Diaboli & impij, & infernus & Hercules & Numa Pompilius, adeoque omnes impij, Ethnici, Iudæi, Turcæ, &c.

*In Recog. p.*149.150. *Ibid.* 167. 169.170. 171. Quòd cœlum ſupra hunc mundum in excelſis neque vnquam fuerit, neque vnquam ſit futurum.

Quòd aſcendere in cœlum ſit depoſita forma ſerui, recipere formam Dei.

Ibidem p. 148. *Et in Recog. pag.* 143. Quòd corpus Chriſti in gloria non habeat circumſcriptionem, quam prius habuerat.

*Ibid.*91.& 95. *Et in Recog. pag.* 90.94. Quòd in Chriſto alia ſit diuinitas communicans ſeu participans, alia communicata ſeu participata.

XIII.

Hæc & id genus alia Brentius: quæ alij ſe improbare oſtenderunt, alij ex profeſſo refutarunt; improbare ſe, & à controuerſia Sacramentaria aliena eſſe oſtenderunt Weſtphalus, Heshuſius, Morlinus, G. Maior, Eberus, Chemnitius, Selneccerus initio, & alij:

Ex profeſſo refutarunt Bullingerus, Martyr, Beza &c.

XIIII.

Brentio veluti ſuccenturiatus ſucceſſit, & eandem cauſam egit Iacobus Andreæ, & non ſolùm eius dogmata, de quibus paulò antè dictum eſt, defendit, ſed etiam hoc præterea effutiuit, Chriſtum eſſe Deum ſecundum

cundum vtranque naturam. Item, Christum ne latum quidem pilum ascendisse, cùm in cœlum ascenderet.

Ac Iacobo tum astipulati sunt & dogmata eius probarunt Iohannes Marbachius, Iohannes Parsimonius, & Lucas Osiander; ita vt corpus Christi non solùm vbique, sed nominatim in lignis, lapidibus, aëre, aquis, pomis, pyris, caseo, cereuisia, patinis, poculis, cantharis cereuisiariis, & inferno præsens esse dicerent. Sed ei sese opposuerunt Beza, Theologi Heidelbergenses, & Wittenbergenses, Iosias Simlerus, Heshusius, Selneccerus, Paulus ab Eitzen, Wigandus: item Theologi Pontificij.

Chemnicius autē qui anno LXI. planè reiecerat, postea anno LXX. edito libro in medio reliquit Vbiquitatem, & vt de ea suo quisque sensu abundaret, permisit.

XV.

Coniunctim à pluribus renouata est hæc controuersia his postremis annis, in tractatione libri Concordiæ, in qua illud potissimùm agebatur, vt dogma Vbiquitatis quod à multis iam oppugnabatur, defenderetur & propagaretur suffragiorum autoritate & multitudine.

XVI.

Ac primùm quidem Torgæ conditus est liber Concordiæ à sex Theologis, Iacobo Andreæ, Chemnicio, Selneccero, Chytræo, Musculo, Cornero, non tamen publicatus: in quo tum scripta Lutheri omnia, didactica & polemica, canonizata sunt; nempe vt ex eis in articulo de persona Christi pro Vbiquitate allegari testimonia possent: tum speciatim illud affirmatum est, Theodoretum Nestorianum esse, atque olim hoc nomine esse damnatum, neque hunc errorem vnquam retractasse: Corpus Christi iam in cœlo

non esse circumscriptum: cœlum in quod ascendit Christus, esse vbicunque est Deus: Christum secundum humanam naturam etiam vbique præsentem & omniscium & omnipotentem esse, non tantùm secundum diuinam naturam.

XVII.

Deinde Bergæ ab iisdem Theologis nõnihil mutatus est ex aliorum censuris, posteaque multorum partim emendicatis, partim extortis suffragiis & subscriptionibus munitus in publicum prodiit. In quo omissum est tum de Theodoreto; quod historia nimis manifesta esset: tum de cœlo atque ascensione in cœlum; vel quòd hic inter ipsosmet autores libri Bergensis non conueniret, nec institui damnationes in Antithesi facilè possent, vel quod Lutheri hic testimonia deficerent. Retinetur autem, quòd de libris Lutheri omnibus didacticis & polemicis scriptum fuerat: retinetur item dogma non solum omnipræsentiæ, sed etiam omniscientiç, & omnipotentiæ humanæ naturæ. Ac præterea affirmatur corpus Christi esse in Cœna præsens, secũdum modum dextræ Dei. Denique in Antithesi nostrarum Ecclesiarum Doctoribus hæc calumniosè & falsò ascribuntur, quòd nuda humanitas sit passa, quòd humana natura cum diuina planè nihil habeat commune, quòd Christus non habeat plenam cognitionem Dei & operum ipsius, quòd sit media quædam potentia Christi, quòd duæ naturæ in Christo copulatæ sint, sicut conglutinantur duo asseres, quòd vnio tantùm faciat communia nomina naturarum & proprietatum Deo & homini, quòd tantum verbalis sit communicatio Idiomatum, & quòd tantum sint inanes tituli & nomina, cum dicitur, hic homo est Deus, & Deus est homo: quòd doctrina nostrarum Ecclc-

clesiarum sit Nestoriana, quod viam sternat Arianismo, quòd passio Christi ad filium Dei nihil attinuerit, quòd humanitas Christi nihil nobiscum habeat negotij, quòd Christo homini non sit data omnipotentia, quòd huic homini nulla sit cum omnipotentia communio, quòd Christus cœlo sit inclusus, & ad certum cœli locum alligatus. &c.

XVIII.

Edito publicatoque libro cum multi sese opponerent, in primis verò Anhaltini, Bremenses, & Neostadiani Theologi, & cum alia tum dogma Vbiquitatis impugnarent, vicissim Apologiam libri Concordiæ scribunt Erfurdiæ anno LXXXIII. Kirchnerus, Selneccerus, & Chemnicius, ac postea ediderunt: in qua primùm generatim doctrinam libri Concordiæ ratam habent, & pro repetita haberi volunt, vt loquuntur: Deinde docent Christum assumsisse quidem corpus visibile & palpabile, & visibilitatem ac palpabilitatem naturaliter ad corpus Christi pertinere, sed tamen corpus Christi in se, quoties ipse vult, inuisibile & impalpabile fieri posse: visibile & palpabile non esse proprietates essentiales: corpus Christi inuisibile & impalpabile esse posse sine destructione: Christum corpore suo inuisibiliter & impalpabiliter præsentem esse in Ecclesia & in Cœna: Christum cum corpore suo visibiliter venturum ad iudicium, & Stephano visibiliter apparuisse, videlicet per dispensationem & apparitionem seu manifestationem certi temporis: corpus Christi iam præditum spiritualibus proprietatibus, & secundum has præsens esse posse, quando, & vbi, & in quot locis simul & semel præsens esse ipse vult: non vnã tantum naturam in Christo sed duas esse adorabiles: &

H 12

obiectum adorationis esse non tantùm diuinam, sed etiã humanam naturam: Christum secundum humanam naturam essentialiter præsentẽ esse in Ecclesia, & in Cœna. Tertiò negant generalem Vbiquitatem corporis Christi, id est, præsentiam in lignis, lapidibus, cantharis cereuisiariis: Et tamen alibi dicunt, Christum secundum humanam naturã implere omnia, & omnibus creaturis præsentẽ esse, & cũ libro Concordię & secum pugnantes: negant itẽ duplicẽ ascensionem in cœlũ: negãt Christum ascendisse in cœlum Vbiquitarium: negant ascensionem Christi in cœlum esse disparitionem, eamque dicunt secundum literam simpliciter & historicè intelligendam esse, Christumq; visibiliter per nubes ascẽdisse in cœlum 40. die post resurrectionem: negant se confundere cœlum & infernum: incarnationem & ascensionem in cœlum: negant infernum esse in cœlo: negant de duplici diuinitate: negant Christum secundum humanam naturã tempore passionis vbique fuisse: denique negant effusionem Idiomatum, contra Brentium & alios.

XIX.

Priusquam hæc ederetur Apologia, Heshusius cum Hofmanno in colloquio Quẽdelburgensi, quod huius rei causa institutum fuit, testatus est, Vbiquitatem corporis Christi non posse defendi: testimonia Scripturæ, quæ ad probandam Vbiquitatem corporis allegantur, depraua-ri: argumenta item quæ adhibentur, ἀσυλλόγιστα esse, & nihil concludere: de subscriptione libri Cõcordię se & alios quosdam circumuentos, nec candidè, vt in tantis rebus fieri debuisset, secum actum esse: testimonia Lutheri de Vbiquitate in libro Concordiæ omitti debuisse, atque iterum expungenda esse: denique non posse se vel in libro

Concor-

A 113

Concordiæ, vel in Apologia acquiescere. At Theologi Wirtenbergici & nonnulli alij generalem Vbiquitatem & alia quædam dogmata quæ in Apologia Erfurtensi reiiciuntur, etiamnum retinent in scriptis suis atque defendunt.

XX.

Expositum est breuiter, primùm vt mota, deinde vt renouata sit controuersia de persona Christi, & vt subinde facta sit dogmatũ mutatio, & mutatis subinde dogmatibus mutatus sit controuersiæ status: nunc refutationem breuiter instituemus dogmatis de multipræsentia & omnipræsentia seu Vbiquitate corporis Christi; quam illi affirmant, nos negamus. Quamuis enim hîc multa sunt dogmata, de quibus controuertitur: tamen vt ex dogmate de tribus modis essendi, seu de multipræsentia & omnipræsentia corporis Christi omnia nata sunt, ita huc spectant, & reuocari atque referri vicissim possunt.

XXI.

Refutatio omnis erit primùm ex Scriptura Prophetica & Apostolica, tanquam ex primario principio disputandi; deinde ex symbolis & testimoniis veterum Patrum, & ex Augustana confessione atque Apologia, tanquam ex secundariis principiis: denique ex ipsius dogmatis natura. Ex Scriptura & symbolis ac testimoniis Veterum vt refutationem instituamus, necessitas & æquitas ipsa postulat: nam ex his iudicium fieri de dogmatibus solet; ex scriptura quidem primariò, ex symbolis verò & testimoniis veterum secundariò: ex Augustana confessione vt disputemus, aduersarij nos cogunt, Augustanæ confessionis autoritatem prætendentes.

81 14

XXII.

Ex Scriptura ſacra, ex Patribus, & ex Auguſtana Confeſſione refutatio gemina eſt: prior quòd hoc dogma de πολυτοπίᾳ & παντοτοπίᾳ nuſquam in eis contineatur.

XXIII.

Nam quod in his nuſquam continetur, id pro dogmate ſcripturæ Canonicæ, aut veteris Eccleſiæ, aut hodie Eccleſiarum Auguſtanæ Confeſſionis minimè eſt habendum.

XXIIII.

Non contineri dogma ſuum in Scriptura, in Patribus, & Auguſtana confeſſione aduerſarij negant, contráque contineri affirmant, & probare conantur, multa partim teſtimonia, partim argumenta huc afferentes, & quaſi aciem contra nos inſtruentes: Sed in his omnibus principium eos petere, hoc eſt nihil probare inter diſputandum oſtendemus. Nam probationes eorum ſigillatim hîc refellere, & nimis longum foret & à præſenti ſcriptione alienum.

XXV.

De ſecundo modo, id eſt, de modo definitiuo hæc nonnulli afferunt, vt corpus Chriſti inuiſibile, & per dimenſiones penetrabile eſſe, & ſpirituales proprietates habere, & per conſequens in pluribus ſimul locis eſſe poſſe oſtendant; nempe quòd corpora noſtra dicuntur fore ſpiritualia 1. Corint. 15. quòd nos ſimiles erimus Angelis Matth. 22. quòd Chriſtus conceptus eſt miraculosè Matth. 1. quòd dum naſceretur, miraculosè per clauſum Virginis vterum egreſſus eſt: quòd corpore ſuo ambulauit ſuper aquas Matth. 14. quòd per clauſum ſepulchrum exiuit corpore ſuo Matth. 28. quòd per clauſas ianuas

ingreſ-

ingressus est ad discipulos Luc. 24. Iohan. 20. Marc. 16. quòd euanuit à discipulis Luc. 24. quòd coram Iudæis inuisibilis factus est Ioh. 8. vers. 59. quòd sanctorum, qui cum Christo resurrexerunt, corpora multis apparuerunt Hierosolymæ, Matth. 27. Quòd Christus non est considerandus amplius secundum carnem 2. Cor. 5. Ex quibus omnibus se colligere posse existimant, quòd corpus Christi in multis simul locis præsens esse possit. Sed nec antecedens verum est, aut in illis locis continetur, vt inter disputandum pro re nata ostendetur; nec si verum sit, ex eo istud, quod volunt, consequeretur. Non minus enim repugnat præsentiæ in omnibus aut in multis locis definitiua quàm circumscriptiua præsentia, quia solius est infinitæ Deitatis in omnibus aut in multis simul locis adesse.

XXVI.

De tertio modo essendi, quem corpori Christi attribuunt, & quē diuinum & cœlestem, & modum Maiestatis, ac modum dextræ Dei, alij item omnipræsentiam atque Vbiquitatem vocant, testimonia afferūt hæc: Matt. 18. Vbi duo aut tres, &c. & 28. Ego ero vobiscum, &c. & Marc. 16. Illi autem profecti prædicarunt, vbique Domino cooperante. & ad Ephes. 4. Ascendit supra omnes cœlos vt impleret omnia. Sed confundunt hic, quæ necessariò distinguenda sunt vocabula concreta & abstracta, id est, nomina personæ, & nomina naturarum, à persona argumentantes ad naturam planè imperitè & viosè.

XXVII.

Argumentis verò vtuntur sumptis ab vnione personali duarum naturarum: à reali communicatione Idiomatum diuinorum, seu Maiestatis, speciatimque à

21 16

communicatione omniscientiæ & omnipotentiæ: à communicatione actionum diuinarum, vt viuificationis, mundationis à peccatis, remissionis peccatorum &c. ab exaltatione & sessione Christi ad dextram patris: ab adoratione Christi: à iudicio, quod Christus in omnes exercet: denique à potentia Dei. Nam huc illa spectant omnia, quæ de his rebus hactenus ab eis sunt disputata, vt vbiquitatem corporis Christi probent: sed hîc etiam eos malè argumentari, & multa scripturæ loca corrumpere & detorquere, indisputatione ostendetur.

XXVIII.

Ex patribus de modo definitiuo afferunt, quæ de natiuitate Christi miraculosa, de egressu è sepulchro item miraculoso, de ingressu ad discipulos per clausas ianuas à nonnullis dicuntur. Quibus tamen nihil probant: quia viciſſim his opponi aliorum Patrum testimonia possunt. Cùm autem dissentientes sunt veterum opiniones, nihil ex eis firmiter probatur.

XXIX.

De tertio modo essendi seu de vbiquitate corporis Christi, testimonia afferunt Cyrilli lib. 12. cap. 32. in Ioh. & Theophylacti in cap. 19. Iohannis.

II. Leonis epistola 10.

III. Theophylacti ad Ephes. 4.

IIII. Chrysostomi Homil. 17. ad Hebr. & Ambrosij in cap. 10. ad Hebr.

V. Hieronymi Tom. 2. aduersus Vigilantium.

VI. Oecumenij ad Ephes. 4.

Sed hæc omnia sunt eiusmodi, vt ad Vbiquitatem corporis planè nihil faciant.

XXX.

Argumentis verò vtuntur sumptis item ex doctrina vete-

81 17

veterum. I. de vnione personali, vt quòd λόγος totus in carne esse affirmatur, & extra carnem esse negatur: & quòd duæ naturæ Christi indistanter vnitæ dicuntur. II. de communicatione Idiomatum; vt quòd Idiomata Deitatis humanæ naturæ communicata esse dicunt, & quòd communicationem reciprocam esse negant, ac speciatim de communicatione omniscientiæ, omnipotentiæ, & adorationis. III. de communicatione actionum diuinarum, ac speciatim viuificationis. IIII. de datis & acceptis in tempore secundum humanam naturã. V. de exaltatione humanæ naturæ seu carnis Christi ad dextram Patris, & dominio in omnes creaturas. In quibus omnibus aut propriè rectéque dicta malè detorquẽt, aut ἀκυρολογίας, id est, impropriè dicta adducunt, & pro propriè dictis haberi volunt.

XXXI.

Ex Augustana confessione I. verba afferunt quæ tertio articulo habentur: Ascendit ad cœlos, vt sedeat ad dextram Patris, & perpetuò regnet, ac dominetur omnibus creaturis &c. de Christo secundum humanam naturam hæc intelligenda esse contendentes: sed frustra id quidem, vt inter disputandum amplius dicetur.

II. De sensu huius articuli ex sententia primorum autorum Augustanæ confessionis colligunt. Nam is est, inquiunt, 3. articuli sensus, quem Theologi illi autores tum temporis habuerunt, nempe Lutherus., Philippus Melanchthon, Brentius, &c. Illos autem tum temporis Vbiquitatem seu omnipræsentiam seu maiestatem Christi secundum humanam naturam asseruisse certò statuunt, in primis Lutherum. Quod nos quidem Lutherum ante tempus illud, nẽpe anno XXVII. & XXVIII. fecisse non negamus, sed postea in colloquio

Marpurgensi facta declaratione inter partes de hoc articulo conueniſſe dicimus, neque hanc controuerſiam dum in viuis fuerunt Lutherus & Melanchthon, vel in articulis Schmalkaldicis, vel in Cõcordia Wittenbergensi, vel aliàs in Scholis & Eccleſiis motam fuiſſe: Ac poſtea quam à Brentio renouata fuit, ab aliis Auguſtanæ confeſſionis ſociis, vt à Chemnicio, Heshuſio, Selneccero & aliis fuiſſe reiectam; quemadmodum etiamnum à quibuſdam non ſolùm Auguſtanæ confeſſionis, ſed etiam libri Concordiæ ſociis, aut ſimpliciter reiicitur, inprimis ab Heshuſio & Hofmanno: aut in dubium vocatur, vt ab Apologiæ Erfurdienſis autoribus, & aliis, qui non generalem, vt liber Concordiæ, ſed ſpecialem & reſtrictam Vbiquitatem volunt. Si iſte eſt Auguſtanæ confeſſionis quem ipſi volunt, ſenſus, cur tam diu viuo adhuc Luthero, & poſt mortem eius quaſi ſepultus latuit? cur tam diu ignoratus fuit? cur ab ipſiſmet Auguſtanæ confeſſionis ſociis reiectus? cur etiamnum à multis reiicitur? aut ſaltem in dubium vocatur? Si iſte eſt Auguſtanæ confeſſionis ſenſus, vt generalis Vbiquitas in ea contineatur, ſicut liber Concordiæ ſtatuit, & adhuc Theologi Wirtenbergici contendunt, cur Apologetæ Erfurtenſes, Kirchnerus, Selneccerus & Chemnicius eam negant, & pro ea ſpecialem & reſtrictam reponunt? Sin autem hic eſt Auguſtanæ confeſſionis ſenſus, vt ſpecialis ſeu reſtricta Vbiquitas in ea contineatur, quomodo libro Concordiæ cum Auguſtana confeſſione, aut Auguſtanæ confeſſioni quomodo cum libro Concordiæ conuenit?

XXXII.

Oſtendimus hactenus, vel potius vt oſtendi poſſit, breuiter delineauimus, quòd dogma de omnipraesentia

& multipræsentia corporis Christi non contineatur vel in Scriptura canonica, vel in scriptis Patrum, vel in Augustana confessione atque Apologia. Quod cùm ita sit, sequitur, vt hoc dogma pro Scripturæ aut Patrum, aut Augustanæ confessionis dogmate minimè sit habendum.

XXXIII.

Altera refutatio est: quòd hoc dogma de tribus modis essendi, seu de multipræsentia & omnipræsentia corporis Christi pugnet cum Scriptura sacra, cum veterum scriptis, & cum Augustana confessione atque Apologia, id est, cum principiis ex quibus hic disputari solet, primariis & secundariis.

XXXIIII.

Nam quod in illis non modò non continetur, sed etiã cum eis manifestè pugnat, id pro Scripturæ, Patrum, & Augustanæ confessionis dogmate haberi minimè potest.

XXXV.

Primùm autem pugnat hoc dogma aduersariorum cum doctrina Scripturæ de incarnatione filij Dei, seu de vnione personali duarum naturarum, diuinæ & humanæ in Christo: ac rursus cum iis scripturæ testimoniis, quibus Christum verum hominem, & Deum verum, & verè cõceptum & natum esse ex Maria virgine, docetur.

XXXVI.

Cum iis Scripturæ testimoniis quibus Christum verum hominem esse docetur, hoc dogma pugnat: Nam qui est verus homo, constans carne, sanguine & ossibus, & corpus habet verè humanum, is quatenus est homo, non est præditus Dei aut Angelorum essentialibus proprietatibus, ac proinde non est inuisibilis, impalpabilis,

aut vbique præsens: alioqui homo esse desineret, & fieret Deus, aut Angelus, quippe Dei aut Angeli proprietates essentiales habens. Neque enim ibi & tunc verus homo & nobis ὁμοούσιος, aut corpus verè humanum & nostris ὁμοούσιον dici potest, vbi & quãdo nihil habet veri hominis aut veri corporis proprium, & vbi ac quando nihil à spiritu differt.

XXXVII.

Cum iis scripturæ locis, quibus Christus verus Deus esse significatur, idem dogma pugnat: Nam si humana natura seu caro seu corpus Christi vbique esse dicitur, etiam increatum incorporeum, æternum, & immẽsum, imò Deus ipse vt sit & dicatur necesse est. Cùm enim simplicissima atque ἀμέριστος sit essentia diuina, cúmque nec à se, nec ab essentia diuina diuidi & separari possint Idiomata diuina, sequitur vt cui vnum Idioma seu proprietas conuenit & tribuitur, ei cæteræ omnes, atque ipsa etiam essentia diuina conueniat & tribuatur, vt de quocunque dici potest, quòd sit vbique, de eo etiam dici possit, quòd sit increatum, incorporeum, æternum, immensum, imò quòd sit Deus: sicut è contrario cui Deitas verè conuenit ac tribuitur, eidem proprietates sine exceptione omnes conueniunt & tribuuntur; vt de quocunque verè & propriè dici potest, quòd sit Deus, de eo etiam propria Deitatis omnia dici possint. Iam verò humana natura seu corpus Christi, nec est, nec dici potest vel in corporeum, æternum, & immẽsum, vel Deus. Sequitur igitur vt nec vbique præsens sit aut dici possit.

XXXVIII.

Si excipiunt: istud de humana natura dici & intelligi non essentialiter, non formaliter, non habitualiter, non sub-

ſubiectiuè, ſed perſonaliter, vel ſecundum modum maieſtatis: Reſp. I. Nuſquam ſic loquitur aut diſtinguit Scriptura. II. Eodem modo humana natura ſeu corpus Chriſti adhuc erit & dici poterit increatum, incorporeum, æternum, & infinitum, atque adeò Deus, videlicet ratione Maieſtatis, quæ certè eſt increata, incorporea, æterna, & infinita. III. Perſonaliter aliquid dicitur de perſona non de natura: ſicut rurſus de natura naturaliter, de eſſentia eſſentialiter. Cùm igitur natura humana non ſit perſona, ſed aſſumpta à perſona, ſequitur vt nec de ea dici aliquid perſonaliter poſſit. Ac proinde abſurdum eſt, naturæ humanæ, quæ non eſt perſona, tribuere perſonalem præſentiam ſeu Vbiquitatem, ita vt perſonaliter vbique eſſe dicatur; Nam cui non conuenit res, ei nec modus rei conuenit aut tribui poteſt.

XXXIX.

Si inſtant: perſonaliter vbique eſſe humanam naturam ſeu corpus Chriſti, non quia eſt perſona, ſed quia perſonæ vbique præſenti eſt vnita, vel quia ſubſiſtit in perſona, id eſt, ſi de cauſa non de modo intelligunt:

Reſp. I. Vnio perſonalis vt non tollit diſtinctionem naturarum, ita non eſt cauſa Vbiquitatis humanæ naturæ ſeu corporis Chriſti, id eſt, non efficit, vt humana natura ſit vbique, alioqui ſequeretur humanam naturam nunquam & nuſquam per ſe circumſcriptam & finitam ſeu verè humanam fuiſſe, aut veri corporis proprietates realiter & actu habuiſſe; quia nunquam & nuſquam eſt vel fuit humana natura niſi perſonæ vnita: id eſt, nūquam & nuſquam eſt vel fuit extra vnionem perſonalem.

II. Eodem modo humana natura ſeu corpus eſſet & dici adhuc poſſet increatum, incorporeum, æternum,

quia

L 22

quia vnitum est personæ increatæ, incorporeæ, æternæ. Et sic etiam esset & dici posset Deus; quia est vnitum personæ, quæ est Deus.

XL.

Cum iis scripturæ testimoniis, quibus Christus conceptus & natus esse ex Maria virgine dicitur idem dogma pugnat; quia nec concipi in vtero Mariæ, & ex ea nasci verè potuit, nec verè conceptus, & natus est, si vbique præsens fuit, id est, si iam ante à conceptione fuit extra vterum Mariæ, & si post partum in eo mansit. Etenim quod vbique est, id nec in vtero contineri, nec exire ex vtero potest.

XLI.

Secundò, pugnat hoc dogma cum doctrina de officio Christi θεανθρώπου. Cùm enim ab vnione duarum naturarum pendeat officium Christi, & distinctas requirat vt naturas, ita naturarum actiones: si humana natura seu corpus Christi vbique esse dicitur, iterum confunduntur naturæ, & naturarum actiones, & vnio personalis, à qua pendet officium Christi, planè euertitur. Nam si vbique est humana natura, etiam omnipotens vt sit, & diuinè atque omnipotenter agat necesse est; ac proinde actiones, quæ in officio Christi distinctæ esse debent, vt in vnione personali duæ naturæ distinctæ sunt, miscentur & confunduntur.

XLII.

Tertiò, pugnat hoc dogma cum doctrina de statu humiliationis & exaltationis. Ac in statu quidem humiliationis pugnat I. cum iis, quæ de infantia & adolescentia Christi passim in scriptura extant; nam à natiuitate statim fasciis inuolutus, in præsepi repositus, in tem-

ἐνεργητικοὶ, id est, peculiares exerant in
οὐσίας, alia non item: atque illa affir-
de humana natura prædicari.
dunt idiomata seu proprietates cum
ibus. II. Vt detur omniscientiã &
umana natura ἐνεργητικὴν seu actualẽ
as nõ est actualis; quia essentiæ præsen-
ἐνέργειαν seu actionis manifestationẽ:
præsens est Deus propter infinitatem
n operatur ad extra, sicut loquuntur,
dum. III. Ipsi secum pugnant sic
m si prædicationum illarum, quibus
nipræsens, omniscia & omnipotens
st manifestatio illa actionum, id est, si
omniscia, & omnipotens est humana
præsentia, omniscientia, & omnipo-
runt, realis communicatio idioma-
erit causa illarum prædicationum:
ationis, quando se nõ ita plene exeru-
a, humana natura omnipræsens, om-
ns dici potuit. Aut si realis idioma-
io illarum prædicationum causa est:
a communicata sunt humanæ natu-
ia sine exceptione de ea prædicentur

LVI.

m secundum humanam naturam ve-
mortuum, sepultum esse, resurrexisse,
m: & tamen eundem secundum hu-
tum vbique etiam fuisse sentiunt. Igi-
a natus, & alibi non natus, passus &
us & non mortuus, sepultus & non se-

L 22

quia vnitum est personæ increatæ, inc
Et sic etiam esset & dici posset Deus; qu
sonæ, quæ est Deus.

XL.

Cum iis scripturæ testimoniis, qui
ceptus & natus esse ex Maria virgine c
ma pugnat; quia nec concipi in vtero
sci verè potuit, nec verè conceptus, &
præsens fuit, id est, si iam ante à conc
vterum Mariæ, & si post partum in e
quod vbique est, id nec in vtero cont
vtero potest.

XLI.

Secundò, pugnat hoc dogma cum
Christi θεανθρώπῳ. Cùm enim ab vni
rarum pendeat officium Christi, & dis
naturas, ita naturarum actiones: si h
corpus Christi vbique esse dicitur, ite
tur naturæ, & naturarum actiones, &
qua pendet officium Christi, planè e
vbique est humana natura, etiam om
diuinè atque omnipotenter agat nece
actiones, quæ in officio Christi distinct
vnione personali duæ naturæ distinct
& confunduntur.

XLII.

Tertiò, pugnat hoc dogma cum do
miliationis & exaltationis. Ac in sta
liationis pugnat I. cum iis, quæ de
scentia Christi passim in scriptura ext
uitate statim fasciis inuolutus, in pr

ita vt alia sint actus ἐνεργητικοὶ, id est, peculiares exerant in humana natura ἐνεργείας, alia non item: atque illa affirmant, hæc negant de humana natura prædicari.

Resp. I. Confundunt idiomata seu proprietates cum ἐνεργείαις seu actionibus. II. Vt detur on niscientiã & omnipotẽtiam in humana natura ἐνεργητικὴν seu actualẽ esse: tamẽ Vbiquitas nõ est actualis; quia essentiæ præsentiã notat, nõ autem ἐνέργειαν seu actionis manifestationẽ: & quia etiam ibi præsens est Deus propter infinitatem essentiæ suæ, vbi non operatur ad extra, sicut loquuntur, vt extra hunc mundum. III. Ipsi secum pugnant sic distinguentes: Nam si prædicationum illarum, quibus humana natura omnipræsens, omniscia & omnipotens esse dicitur, causa est manifestatio illa actionum, id est, si ideò omnipræsens, omniscia, & omnipotens est humana natura, quia omnipræsentia, omniscientia, & omnipotentia in ea sese exerunt, realis communicatio idiomatum non amplius erit causa illarum prædicationum: nec in statu humiliationis, quando se nõ ita plene exeruerunt ista idiomata, humana natura omnipræsens, omniscia & omnipotens dici potuit. Aut si realis idiomatum communicatio illarum prædicationum causa est: vt omnia idiomata communicata sunt humanæ naturæ, ita etiam omnia sine exceptione de ea prædicentur necesse est.

LVI.

Dicunt Christum secundum humanam naturam verè natum, passum, mortuum, sepultum esse, resurrexisse, ascendisse in cœlum: & tamen eundem secundum humanam naturam tum vbique etiam fuisse sentiunt. Igitur simul & in Iudæa natus, & alibi non natus, passus & non passus, mortuus & non mortuus, sepultus & non se-

ES 24

pultus est: simul resurrexit, & non resurrexit, ascendit, & non ascendit in cœlum.

LVII.

Dicũt corpus Christi esse omnipræsens, sed infinitum & immensum esse negãt. At quod est omnipræsens, ideo est omnipræsens, quia infinitum. Nam causa omnipræsentię est infinitas, nec quicquam omnipræsens est aut dici potest, nisi sit infinitum.

LVIII.

Dicunt humanam naturam præsertim in statu humiliationis circumscriptã fuisse, salua nihilominus unione personali: & tamen contendunt, si humana natura non sit, ubicunque est diuina natura, personam solui, & naturas diuelli. Fuit igitur separata humana natura, quatenus circumscripta.

LIX.

Dicunt omniscientiam realiter humanę naturæ communicatam esse: & tamen volunt humanam naturam in statu humiliationis quædam verè & realiter ignorasse. At si per realem communicationem omniscientiæ, omniscia fuit humana natura, quomodo ignorare quædam potuit? Et rursus, si quædam ignorauit, quomodo omniscia esse & dici potuit? Nam omniscientia cum ignorantia quorundam, & contra, stare non potest: sed per quorundam ignorãtiam omniscientia, & per omniscientiam, quorundam ignorantia tollitur.

LX.

Dicunt humanã naturam non eodem modo esse vbique, quo Deitas est: & tamen volunt eam esse vbique secundum modum dextræ Dei, quam dicunt esse ipsum Deum, & modo diuino ac cœlesti: Item esse ubique non extensiuè seu per localem extensionem. Erit igitur

vbique

2525

vbique tota non habens partem extra partem, sed omnes partes in omnibus, ac proinde erit vbique sicut Deitas. Nam solius Deitatis hoc est proprium, vt tota sit vbique & in singulis locis.

LXI.

Dicunt distinctas esse vt naturas, sic naturarum actiones: & tamen actiones diuinas humanæ naturæ tribuũt, & cum ea communes esse volunt. At si vna eadémque Deitatis & humanitatis actio est, eadem essentia & natura vt sit necesse est, secundum immotum axioma concilij Oecumenici VI.

LXII.

Dicunt corpus Christi esse vnum substantia seu essentia: & tamen ei tres modos essendi attribuunt; circumscriptiuum, definitiuum & repletiuum. At quî potest esse vnum corpus aut vna substantia corporea, si tres modi essendi ei attribuuntur? Nam vt omne, quod indiuiduo vnum est, semel tantùm & vno modo hoc est, quod esse dicitur: ita cui tribuitur modus essendi, ei etiam essentia ipsa tribuitur; quia modus essendi pendet ab essentia, ac proinde talis est, qualis ipsa essentia. Itaque si corpus Christi simul triplici illo essendi modo aliter atque aliter alicubi esse dicitur, hoc ipso verum atque organicum corpus, & simul spiritus incorporeus, nempe Angelus vel Deus esse docetur, id est, simul triplex ei essentia affingitur.

LXIII.

Dicunt humanam naturam non esse Deitati æqualem: & tamen volunt humanam naturam proprietates Deitatis realiter communicatas habere, & omnipræsentem, omniscium, & omnipotentem esse.

2526

At naturam omnipræsentem omnipræsenti, omniſciam omniſciæ, omnipotentem omnipotenti æqualē eſſe neceſſe eſt; quia non poteſt infinitum infinito maius aut minus, nec omnipotens omnipotente eſſe potentius aut impotentius.

LXIIII.

Dicunt corpus Chriſti actu fuiſſe circumſcriptum loco: & tamen volunt actu incircumſcriptum & vbique fuiſſe. At actualis circumſcriptio in vno loco, tollit actualem Vbiquitatem & incircumſcriptionem in omnibus locis, & contra. Nec iuuat, quòd diuerſo reſpectu, & modo hæc intelligere ſe dicunt, nempe naturali & ſupernaturali ſeu cœleſti. Nam diuerſus reſpectus & modus tum rectè & vtiliter adhibetur, cùm de perſona Chriſti habente duas diuerſas naturas, non autem cùm de natura humana agitur; in qua poſitis ſimul duobus actibus contrariis ſeu contradictoriis, neceſſario ponitur contradictio.

LXV.

Dicunt corpus Chriſti ſecundum modum maieſtatis & perſonaliter, atque adeò non eſſentialiter præſens eſſe vbique, & in pane Cœnæ Dominicæ: & tamen corporaliter & ſubſtātialiter & eſſentialiter in eo preſens eſſe iterum clamitant. Si vt vbique ita in cœna eſt præſens corpus Chriſti, non eſſentialiter, neque etiam accidentaliter ſecundum dimenſiones vt volunt: ſublatis ſimul accidentibus & eſſentia in cœna quid reliquum erit? quid corporis Chriſti ibi erit & percipietur, vbi nec eſſentia, nec accidentia corporis Chriſti eſſe intelliguntur?

LXVI.

Dicunt corpus Chriſti ſecundum modum Maieſtatis

8527

in præsens esse in Cœna: & tamen ore manducari contendunt. At si secundum modum maiestatis, seu per Vbiquitatem est in pane & cum pane, & ore manducatur, erit etiam hoc modo extra panem & extra os manducantis: Imò non tam erit in pane corpus Christi, quàm in corpore Christi panis. Item non tam erit in ore, quàm extra os manducantis idem corpus Christi, ac proinde non manducabitur realiter aut percipietur. Item, si per Vbiquitatem est in Cœna, iterum non manducabitur nec percipietur ore corporis; quia quod est vbique, id cum pane & manu ministri transire in os manducantis & ore percipi non potest. Pugnant enim ex diametro esse vbique, id est, non solùm in pane, sed etiam extra panem, & transire in os atque corpus hominis, & ore percipiac mãducari. Item, si corpus Christi per Vbiquitatem seu per modum Maiestatis est in Cœna, non iam corpus ipsum, seu substantia corporis, secundum quam corpus finitum esse dicunt; sed maiestas, secundum quam corpus vbique & in Cœna præsens esse volunt, & quæ non est corpus aut quiddam corporeum, sed, vt ipsi fatentur, rs omnium spiritualissima, manducabitur.

LXVII.

Atque hæ sunt dogmatis illius antilogiæ seu contradictiones: iam nec ipsi Doctores Vbiquitatis hîc consentiunt, sed à se ipsis & inter se dissentiunt, partim propriis, partim mutuis telis se conficientes.

LXVIII.

A se ipsis dissentiunt, quòd Vbiquitatem à se antea improbatam postea approbarunt; approbatamque rursus improbarunt, vt Chemnicius, Selneccerus, Kirchnerus, Heshusius.

528

LXIX.

Inter se dissentiunt, quòd Vbiquitatem corporis Christi alij generalem, alij restrictam: & causam Vbiquitatis alij vnionem personalem, alij sessionem seu exaltationem Christi esse volunt. Item quòd ascensionem & sessionem ad dextram idem esse cum vnione personali, & Christum in vtero matris ascendisse in cœlum, & sedisse ad dextram Dei: quòd corpus Christi ab vtero Mariæ atque adeò tempore humiliationis vbique fuisse: quòd humanam naturam diuinæ æqualem esse: quòd circumscriptionem accidens separabile esse in corpore Christi: quòd ascensionem Christi in cœlū localem fuisse: quod Christum secūdum vtranque naturam passum esse: quòd dogma Vbiquitatis ad cœnam pertinere, & præsentiæ in Cœna fundamentum esse, alij affirmant, alij negant.

LXX.

Quæ cum ita sint, dogma Vbiquitatis, quod sic à seipso dissentit, & secum pugnat, futile, vanum & falsum vt sit necesse est.

LXXI.

Hactenus dogma de tribus modis essendi, seu de multipræsentia & omnipræsentia corporis Christi breuiter refutauimus, vel potius modum refutādi delineauimus; ac primùm ostendimus aduersarios principium petere, id est, nihil probare: deinde principia, ex quibus hîc disputari solet, negare & destruere: tertiò secum pugnare & sibi contradicere. Qui termini sunt & limites disputandi in hac controuersia.

LXXII.

Ex quibus omnibus efficitur, vt dogma illud aduersariorum non modò non recipiendum in Ecclesia, sed ex ecclesiis ejiciendum sit atque exterminandum.

FINIS.